



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. De proceßionibus Personarum Diuinarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

tatem ad generandum Deum, & Filius quatenus est adæquatè Filius est terminus talis fecunditatis, concedo: Pater quatenus est inadæquatè Pater, & solam dicit relationem, nego: Nam vt sic dicit formaliter solam vim generandi personam diuinam, quamuis dicat consequenter, vim generandi Deum, quia diuina persona non est sine natura. Ad confirmationem vtramque responderetur eadem distinctione.

§. IV.

Vtrum personalitates diuinae distinguantur ab essentia ratione tantum: an verò realiter virtualiter.

NVlla inter Doctores Catholicos potest hic dissentio esse de re, sed solum de vocibus, quibus semel expositis, nulla superest controuersia, modò constet quid significet distinctio virtualis, quam in Trinitate plurimi Doctores ponunt, alij verò negant solam volentes sufficere distinctionem rationis.

Quadruplex dubitatio.

Ratio ergo dubitandi sit primò, quia distinctio ista virtualis non ponitur in diuinis, nisi vt possint de eodem affirmari prædicata contradictoria, sed posita sola distinctione rationis possunt de Deo affirmari contradictoria, nam illa (vt sæpè dixi) etiam in creatis, vera sunt de eodem secundum diuersos conceptus, ergo sufficit in diuinis distinctio sola rationis.

Secundò, sicut intellectio generat, & volitio non generat, sic iustitia punit, misericordia non punit, sed sola distinctio rationis sufficit inter iustitiam, & misericordiam, ergo illa etiam sufficit inter intellectionem & volitionem.

Tertiò, illa distinctio virtualis reperitur vbicumque duæ formalitates realiter identificatae rebus æquivalent distinctis, sed vbicumque reperitur distinctio rationis tum in Deo tum in creaturis reperitur etiam illa æquivalentia, vt patet, nam iustitia, & misericordia identificatae in Deo, æquivalent duabus illis perfectionibus, quæ in creaturis sunt identificatae: Animalitas & rationalitas quæ in homine sunt vnum, æquivalent virtuti sensitiuæ bruti, & intellectiuæ Angeli, ergo sola est ibi distinctio rationis.

Quartò, in illa distinctione virtuali relationum ab essentia committitur circulus, & idem explicatur per se ipsum, dicitur enim quod idè de essentia, & de personalitatibus veræ sunt propositiones contradictoriae, quia distinguuntur virtualiter, & distingui virtualiter significat duntaxat quod de illis possunt dici contradictoria.

Conclusio affirmatiua.

Dico tertiò, inter relationes diuinas & essentiam, non est solum distinctio rationis, sed requiritur etiam distinctio virtualis, qualis non reperitur inter reliqua omnia Diuina tributa & essentiam. Ita cum Caietano docent Valent. quæst. 13. p. 1. & quæst. 4. p. 1. Molina quæst. 28. art. 3. disp. 3. Herice disp. 12. c. 2. Zuniga disp. 2. dub. 4. Arubal. disp. 100. c. 3. num. 13. Hurtad. Arriag. & plures alij recentiores quibus immeritò repugnant cum Vasq. Granad. Alarçon, Luisius, Turrian. qui tamen (vt monui) de solis vocibus pugnant.

Triplex probatio.

Ratio enim contra illos manifesta est, quia distinctio ista virtualis significare duntaxat potest, quod aliquid licèt indistinctum realiter, ita tamen rebus distinctis æquiualeat, vt possit præstare idem quod res præstarent distinctæ, sed negari nullo modo potest quin essentia & relatio quarum vna producitur, & vnitur, altera non producta vel vnita, æquiualeant pluribus adè vt possint idem præstare quod præstarent res distinctæ, alioqui non possent dici de illis contradictoria, ergo certum est quod essentia, & relatio distinguuntur virtualiter, & hoc (vt dixi) nemo negat Catholicus.

Secundò ergo, quod illa non sit pura distinctio rationis, sed illi aliquid superaddat non reale actuale, sed reale virtuale probatur, quia certum est, quod in Deo maior quædam reperitur capacitas, ad suscipiendas denominationes contradictorias, quam inter creaturas reperitur, nam essentia communicatur, non communicatur

personalitas, & vicissim personalitas producitur, essentia non producitur, quod certum est in creaturis non habere locum, sed distinctio rationis reperitur perfecta in creaturis, ergo maior quædam distinctio reperitur in Deo, quam distinctio rationis. Confirmatur quia, distinctio rationis non sufficit vt vnum dicatur produci altero non producto, quis enim dicat posse produci animalitatem, rationalitate non producta, sed in Deo essentia non producitur relatio producitur, ergo inter essentiam, & relationem sola non sufficit distinctio rationis.

Tertiò ergo, à priori ratio sit, quia quoties aliqua ita se habent, vt quamuis re vnum sint, capacia sint tamen contradictoriorum intrinsecorum, distinguuntur plus quam ratione; nam distinctio quæ non est nisi rationis efficit quidem vt in ordine ad aliquid extrinsecum de aliquo affirmantur contradictoria, homo discurret vt rationalis non discurret vt animal, cognoscitur vt animal, non cognoscitur vt rationalis sed non efficit vt in ordine ad aliquid intrinsecum possint de eodem esse vera contradictoria, communicari, produci, vniri, quæ vt patet sine ordine ad aliquid extrinsecum verificantur de relationibus & essentia, ergo patet quod inter essentiam & relationes non est sola distinctio rationis.

Ad primam Resp. distinguendo maiorem, non ponitur virtualis distinctio in diuinis, nisi vt possint affirmari de eodem contradictoria, in ordine ad aliquid extrinsecum, v.g. in ordine ad effectus productos ad extra, nego, in ordine ad existentiam intrinsecam concedo. Ad priorem illam rationem sufficit distinctio per intellectum non sufficit ad secundam vt satis probatum est. Fateor quod etiam in creatis reperitur capacitas ad contradictoria extrinseca, quam non malè vocaueris distinctionem virtualem minorem cum Arriaga, solius autem Dei propria est capacitas ad contradictoria intrinseca, atque adè illi soli competit propter infinitatem distinctio illa virtualis maior.

Solutio primæ dubitationis.

Ad secundam Respon. iustitiam, & misericordiam in Deo solâ distingui ratione, & distinctione illâ virtuali minore, quia in ordine solum ad effectus extrinsecos, possunt de illis dici contradictoria, intellectionem autem & volitionem distingui pluraque ratione, quia contradictoria intrinseca illis conueniunt generare ad intra, & non generare.

Solutio secundæ.

Ad tertiam Resp. negando æquivalentiam in ordine ad prædicata intrinseca reperiri, vbicumque sunt formalitates distinctæ solum per intellectum vt satis liquere potest ex dictis.

Solutio tertie.

Ad quartam Resp. nullum in ea distinctione virtuali committi circulum eo modo quo est exposita; significat enim solum capacitatem ad plura realiter distincta, ex qua postea sequitur capacitas contradictoriorum intrinsecorum, vbi non explico idem per se ipsum.

Solutio quartæ.

SECTIO II.

De processionibus personarum diuinarum. S. Th. q. 27.

FVndamentum distinctionis in diuinis sola processio est personæ vnus ab altera; idem enim distinguuntur personæ quia vna est producta, & altera producens, de his igitur, processionibus vt distinctè agam disputanda videntur quatuor. Primò, quoad existentiam vtrum inter diuinas personas aliqua sit processio, ita vt vna persona procedat ab alia, & quotuplex illa sit. Secundò, quoad essentiam, quid sint diuinæ processionis, & quos terminos habeant. Tertiò, quas habeant proprietates vbi celeberrima controuersia locum habet, vtrum processio filij verè sit generatio, processio autem Spiritus Sancti non sit generatio. Quartò, quænam sint earum principia.

§. I.

Vtrum in diuinis aliqua detur vera processio.

Certum est primò, nomine (processionis) hîc significari productionem vnus personæ diuinæ ab alia.

Nomen processionis.

alia. Definiuntur enim à Theologis vulgò processiones, origines personarum productarum à personis producentibus, solentque propterea minùs propriè vocari actiones, quia non sunt dependentiæ vt patebit statim, sed dicuntur origines, emanationes, processiones, actus notionales; hæc enim omnia synonyma sunt, quia significant productiones personæ diuinæ, ex eadem substantia diuina, sine vlla ex imperfectionibus quæ reperiuntur in actionibus creatis.

Imperfectiones actionis. Certum est secundò, duas esse imperfectiones in actionibus creatis, propter quas illæ sunt dependentiæ, & illarum principium dicitur causa. Prima est, quod sit eductio rei à non esse ad esse, seu productio rei quæ potest concipi non esse. Secunda, quod in qualibet actione agens communicet effectui essentiam distinctam ab essentia ipsius producentis, si autem detur actio in qua res producta ita sit simpliciter necessaria vt non possit concipi non esse, & habet eandem essentiam principij à quo producitur, certè actio illa non erit dependentia, neque principium erit causa, quia causa est principium quod influit esse in aliud, si autem res producta participet essentiam sui principij non est aliud à suo principio.

Triplicem dubitatio. Ratio ergo dubitandi primò est, quia si aliqua persona diuina producitur, necesse est vt illa sit potens ad receptionem esse; si enim recipit esse certè habet potentiam receptiuam ipsius esse, hoc est absurdum, quia sic esset in Deo aliqua potentia receptiua, ergo in Deo nulla est processio.

Secundò, produci ab alio est indigere alio, & mendicare ab eo suum esse quod sonat imperfectionem; beatius est enim dare quàm accipere, & minor est perfectio producere quàm produci.

Tertiò, Deo est necessariò primum esse, persona producta non potest dici primum esse, quia datur aliqd eà prius, ergo persona producta non potest esse Deus.

Assertio. Dico primò, admittenda necessariò est in diuinis aliqua persona improducta, & aliqua personæ realiter productæ, sicq; dantur veræ in Deo processiones.

Dari personam improducta. Prima pars, de persona quæ nec procedat, nec producatur, certa est ex fide: sed ratio Theologica quæ id efficaciter probet difficilis est; si enim contendat aliquis posse causas esse sibi mutud causas, certè probari nullà ratione potest existentia personæ improductæ: nam probari hoc duntaxat potest ex eo quod persona producens produci non potest à persona per quam producitur, & quia dari non potest infinitus progressus in diuinis personis, cum ex fide constet illas non esse nisi duntaxat tres.

Dari personam productas. Secunda pars, de personis verè diuinis, & tamen productis constat ex scripturis, *Ego ex ore altissimi prodii primogenita*, &c. *Ego scio eum quia ab ipso sum*. Concilia & Patres superfluum est adducere. Ratio autem Theologica vulgò affertur, quia in diuinis, nulla potest esse realis distinctio, nisi vbi est realis productio natura enim diuina propter infinitatem, identificat sibi omnia cum quibus non habet oppositionem: non potest autem habere oppositionem, nisi habeat relationem fundatam in processione, nam omnis relatio fundatur, vel in mentura, vel in vnitatis, vel in productione: In ente infinito locum habere ratio mensuræ non potest: relatio vnitatis in Deo reperiri nequit, quia summa vnitatis naturæ in Deo, excludit omnem distinctionem, imò illa relatio distinctionem supponit non facit, ergo sola relatio originis esse in Deo potest.

Solutio dubitatio. Ad primam Resp. personam productam non habere vllam potentiam receptiuam quæ repugnet puritati actus, quia nõ habet potentiam ad recipiendum per informationem aut vnionem, sed tantum per identitatem cum eadem naturâ producentis quod non repugnat actui puro.

Ad secundam Resp. quod produci liberè ab alio, &

Tom. I.

per communicationem diuersæ naturæ, est indigere alio cum imperfectione: at verò produci necessariò per communicationem eiusdem naturæ infinitæ, non est mendicare suum esse, neq; indigere cum imperfectione, & in hoc sensu beatius non est dare quàm accipere.

Ad tert. Resp. personam productam esse primum esse secundum essentiam absolutè sumptam, non autem secundum personalitatem, quæ vt dixi, non est Deus formaliter.

§. II.

Quotuplex in diuinis sit processio.

Ratio dubit. est primò, quia pluralitas realis actionum non potest colligi ex pluralitate principiorum, quæ distinguuntur tantum ratione, non enim probatur maior esse distinctio inter actiones, quàm sit inter principia, sed intellectio & volitio distinguuntur solum ratione, ergo ex distinctione intellectiois & volitionis nõ probatur distinctio realis processionis.

Secundò, persona diuina, & processio est infinite perfecta, ergo est terminus adæquatus virtutis productiæ infinitæ, ergo non relinquit locum secundæ, probo conseq. processio infinita includit omnem perfectionem possibilem in genere processionis, ergo præter eam nulla potest esse altera. Deinde per primam processionem Deus communicatur quantum est communicabilis, alioqui communicatur imperfectè.

Tertiò, poterit ergo vnum verbum procedere per scientiam speculatiuam, alterum verò per practicam, tamenim distinguuntur scientia speculatiua & practica, quàm intellectio & volitio.

Dico 2. vna tantum in diuinis est persona improducta: personæ autem productæ sunt tantum duæ, atque adeò duæ sunt processiones actiua, passiua totidem.

1. Partem de vnitatis personæ improductæ probat S. Th. efficaciter, quia personæ diuinæ non possunt inter se distingui nisi relatiuè opponantur, sed inter personas improductas nulla potest esse huiusmodi oppositio, quia illa fundari non potest nisi in productione, ergo persona improducta esse non potest nisi vnica. Deinde argumentatur etiam optimè Scotus, quia si essent plures personæ improductæ, illæ in infinitum deberent multiplicari; non enim ratio sufficiens vlla posset excogitari numeri vnus potius quàm alterius.

Secundam partem de duabus personis productis probat etiam S. Th. suppositâ fide Trinitatis, quia si non possunt esse nisi duo termini adæquati actionum immanentium diuinarum, non possunt etiam esse plures personæ diuinæ quàm duæ: nam personæ diuinæ fieri debent per actionem immanentem, alioqui esset extraneæ Deo, & cum sint infinite debent esse termini adæquati potentia à qua producuntur sed illi termini sût tantum duo, ergo sunt tantum duæ personæ productæ. Probat. minor, quia in natura intellectuali duæ tantum sût potentia actiua ad intra & immanenter, & singulæ vnum habet terminum adæquatum infinitum, ergo in Deo duo sunt termini actionum immanentiu. Confir. quia personæ diuinæ non possunt procedere nisi per intellectum, & voluntatem, sed verbum exhaurit totam fecunditatem intellectus, & Spiritus Sanctus exhaurit totam vim productiuam voluntatis: ergo sunt duæ personæ productæ nec plures quàm duæ. Verbum ergo ideò non generat aliud verbum, quia recipit à patre naturam iam exhaustam secundum vim generatiuam, sed quia non illam recipit exhaustam secundum vim spiratiuam propterea spirare potest.

Tertia pars, de duplici processione actiua, & duplici passiua, sequitur ex secunda parte; si enim duæ sunt personæ productæ, necessariò duæ debet esse processiones actiua & duæ passiua; implicat enim vt actio vnica duas producat personas distinctas, vt constat etiã in creatis, & multò magis in diuinis debet valere, quia

Triplicem dubitatio.

Vna persona improducta.

Duæ personæ productæ.

Quadruplex processio.

quia si actio vna produceret duos terminos, necesse esset ut illi essent termini solum inadequati, sed terminus infinitus esse non potest inadequatus. Deinde illæ personæ quæ procederent per eandem actionem non possent esse distinctæ, quia vna non procederet ab alia ergo si duæ sunt personæ procedentes, duæ quoque sunt processiones: de distinctione autem illarum processionum, v. g. quomodo generatio actiua differat à spiratione passiva difficultas est grauis de qua infra dicendum erit.

Solutio
dubitat.

Ad primam Resp. concedendo, quod distinctio realis processionum non colligitur ex distinctione intellectiōis, & volitionis, sed suppositâ fide distinctionis personarum, probabiliter colligitur non esse plures processiones quàm duas, eo quod duæ tantum sint actiones immanentes in Deo, intellectio & volitio: distinctio autem realis personarum probatur ex eo quod vna processio producatur ab altera. Nego itaque absolute quod non possit esse maior distinctio inter processiones, quàm sit inter intellectiōem & volitionem; intellectio enim non producit volitionem, sicut processio per intellectum producit processionem per voluntatem.

Ad secundam Resp. disting. conseq. ergo est terminus intensiue adæquatus virtutis productiue concedo, terminus extensiue adæquatus nego, terminum intensiue adæquatum, voco eum quo nullus produci potest posterior, extensiue adæquatum eum præter quem nullus produci potest. Per primam ergo processionem non communicatur Deus extensiue quantum est communicabilis, sed communicatur intensiue quantum potest. Concedo itaque vnam processionem non esse infinitam extensiue, quia hoc significat tantum quod præter eam altera esse possit, ex quo non inferitur finitas talis personæ.

Ad tertiam Resp. negando duas esse processiones per intellectum scientiæ nimirum speculatiuæ, & scientiæ practiciæ, quia scientia practica non supponit speculatiuam, sicut volitio supponit intellectiōem, & ab ea distinguitur virtualiter.

S. III.

Quidditas processionum diuinarum.

Ad intelligentiam quæstionis difficillimæ supponendum est cum communi Theologorum, quod postea contra Durandum probabitur, principium formale per quod producitur persona diuina & à quo exit processio actiua, non esse substantiam diuinam, sed esse intellectum & voluntatem, atque aded processiones esse necessariò debere actiones intellectus, & volutatis.

Status
quæstio-
nis.

Contrauerfia ergo nunc est, vtrum processiones illæ formaliter sint intellectio & volitio: an vero aliquid procedens ab intellectu, & voluntate, quod tamen non sit formaliter intellectio, & volitio. Tripliciter videlicet auctores diuisi sunt, alij cum Vasq. disput. 112. Solam intellectiōem & volitionem putant esse actiuas processiones, alij cum Valentia, Suare. 1. 6. c. 1. & 2. Zuniga disp. 2. dub. 7. Arriaga disp. 46. sect. 2. Solam relationem personæ producentis volunt esse totam processionem actiuam, seu actionem totam quæ producit. Alij cum Arrubale disp. 97. Volunt intellectiōem & volitionem simul cum relationibus esse processiones actiuas, aded ut actus notionalis in recto sit intellectio vel volitio, connotans in obliquo relationem.

Prima du-
bitatio.

Ratio autem dubitandi primò est, quia si generatio actiua est ipsa paternitas sequitur quod generare formaliter est habere filium, & ad illum referri, consequens est absurdum quia generare est ratio habendi filium; & aliquid prius quàm habere filium: si enim peccatur quare habeat filium respondetur optime quia generat. Deinde vel formaliter generatio est relatio,

vel identicè, si formaliter, ergo generatio actiua non potest concipi ut prior paternitate, si solum identicè, ergo generatio tam est essentia quàm relatio; nam in diuinis omnia idem sunt exceptis personis.

Secundò, processiones sunt actiones immanentes, sed in natura spiritali, nullæ sunt actiones immanentes præter intellectiōem & volitionem, ergo processiones diuinæ sunt intellectio & volitio. Deinde secunda persona esse non potest Verbum, si productio eius non sit loquutio, sed loquutio essentialiter includit intellectiōem & attentionem personæ loquentis, ergo productio Verbi essentialiter includit intellectiōem. Præterea secunda persona eodem modo est Verbum in Deo, quo in nobis generatur ipsum Verbum, sed in nobis verbum non generatur per aliquid quod presupponat intellectiōem: ergo neque in Deo.

Secunda
dubitatio.

Tertiò, actio & passio in creatis sunt vna res cuius subiectum solus est terminus productus: ergo similiter in diuinis generatio actiua, & passiva sunt vna res cuius subiectum est persona producta non persona producens, ergo generatio actiua non est personalitas ipsius Patris, sed vel intellectio vel personalitas filij. Probatur prima consequentia, quia eadem rationes quæ probant identitatem actionis & passionis in creatis, probant illam etiam in diuinis; ideo enim actio & passio in creatis sunt vnum, quia eo ipso quod intelligitur persona passiuè producta intelligitur persona producens actiuè, quantum nihil ei aliud addatur sicut eo ipso quod oculus videt colorem, color etiam videtur, quod sine dubio, idem in Deo valet. Non enim concipi potest persona producere quin intelligatur persona produci. Deinde actio non minus procedit ab agente, nec minus ab eo distinguitur quàm ipse terminus actionis, sed si generatio actiua sit personalitas agentis, ab eo non distinguetur, ergo processio actiua, non est personalitas personæ producentis.

Tertia du-
bitatio.

Dico tertiò, processiones actiuæ personarum diuinarum non sunt formaliter intellectio & volitio, sed relationes personarum producentium: processiones autem passiuæ sunt relationes personarum productarum.

Assertio
negans in-
tellectio-
nem esse
processio-
nem.

Ratio est primò, quia, illud non est processio actiua, quod est principium, & terminus processionis, sed intellectio est principium, & terminus processionis, nam intellectio diuina communicatur Filio, & est principium productiuum Filij, ergo intellectio Patris non est ipsa processio. Deinde processio actiua non communicatur termino producto, alioqui Filius etiam generaret, sed intellectio communicatur termino producto, ergo intellectio non est processio. Præterea processio actiua est aliquid posterius ratione, quàm principium productiuum, sed intellectio non est aliquid posterius principio productiuo, nam illud principium formaliter, vel est ipsa intellectio, vel paternitas, si est paternitas, quæ manat ab intellectiōe tantquam à principio virtuali, certè intellectio non est posterior paternitate: si autem est intellectio certè non est prior processione, quæ dicitur esse intellectiōem.

Prima
probatio
de pura
intelle-
ctiōe.

Secundò, quod intellectio prope connotans relationem non sit processio, probatur quia, processio egredi aliquo modo debet à principio à quo est, sed sola relatio egreditur ab intellectiōe & volitione quæ sunt principia productiua, ergo sola relatio est processio actiua. Deniq; ne in nobis quidè actio productiua Verbi est intellectio, neque volitio est actio productiua amoris; intellectio enim creata consistit, saltem inadæquatè in ipso Verbo, cuius actio productiua, propriè vocatur *dictio* non intellectio, ergo etiam in diuinis, actio productiua Verbi non est intellectio sed dictio, quæ dictio formaliter est relatio.

Secunda
probatio
de intelle-
ctiōe
prope con-
notat re-
lationem.

Confirm. quia, processio passiva est formaliter relatio personæ productæ, ergo processio actiua est sola relatio personæ producentis; sicut enim persona produ-

ducta

ducta (vt postea dicam) constituitur & distinguitur per processionem passiuam, sic etiam persona produ- cens constituitur, & distinguitur per processionem actiuam.

Solutio dubitatorii.

Ad primam Resp. ex his, quæ dicentur infra, cum agam de constitutione personarum diuinarum, primò quidem, quod idem est in diuinis generare, & habere filium, quia generare non est aliquid prius, quàm habere filium, si est ratio formalis habendi filium: quod in creatis non est verum, ubi generare prius est, quàm habere filium, & ad illum referri, quia in nobis personalitas antecedit actionem, & actio relationem, cum vnum distinguitur ab alio: In Deo autem illa non possunt distingui, nec inuicem præcindi, sed concepta processione concipitur relatio saltem confusè. Vnde responderi secundò potest, quod generare non est formaliter explicite habere filium, sed implicite tantum, ideòque concipi potest tanquam aliquid prius quàm habere filium, nam relatio, & processio distinguuntur quidem præcisiuè ab essentia, sed inuicem distinguuntur duntaxat secundum conceptus explicitos, & confusos, atque adeò magis distinguuntur ab essentia quàm à se inuicem.

Actio aliqua immanens nec est intellectio nec volitio.

Ad secundam Resp. negando, quod etiam in nobis non sit actio vlla immanens præter intellectiõnem, & volitionem: nam quamuis omnis actio immanens naturæ spiritualis procedat ab intellectu, & voluntate, non est tamen necesse, vt illa sit intellectio, & volitio, nam productio habituum v. gr. est actio immanens, vt patet. Deinde fateor productionem verbi semper esse loquutionem, sed distinguo hanc propositionem, loquutio essentialiter includit intellectiõnem, & attentionem personæ loquentis, includit illam præsuppositiuè saltem, concedo: includit formaliter illam in Deo, nego; satis enim est, quod ab illa prodeat tanquam à principio.

Verbum increatum differt à creatio.

Neque verò eadem ratio est verbi creati, & increati, quia cum intellectus creatus producat verbum ex defectu intellectiõnis, non producit ab eo verbum per intellectiõnem, neque verbum illam supponit, sed est ipsa intellectio: Intellectus autem diuinus non producit verbum ex necessitate, sed ex fecunditate intellectiõnis, idèd verbum in diuinis non est intellectio, sed præsupponit intellectiõnem, imò actio illius productiua non est intellectio, sed loquutio sequens intellectiõnem: quomodo autem hinc non sequatur verbum diuinum esse simile verbo vocali, non verbo mentali, dicitur qu. 3. in eo enim quod sequatur intellectiõnem, & non sit ipsa intellectio, conuenit cum verbo vocali: in eo autem quod ab intellectu producat, & habeat in seipso cognitio- nem communicatam, qua formaliter intelligit similitudinem habet cum verbo vocali.

Non valet argumentum ab actione & passione in creatis.

Ad tertiam Resp. actionem & passionem in rebus creatis non distingui vllò modo realiter; distingui autem in diuinis. Ratio autem disparitatis est, quia in creatis actio non est constitutiua ipsius agentis, ideòque ab ipso agente distingui potest, & esse in termino, eadem res cum passione: In diuinis autem processio actiua constitutiua est ipsius personæ quæ agit, vt postea dicitur, atque ita distingui necessariò debet tum à passione, tum à persona producta.

Ad primam probationem

Ad probationem ergo primam, nego illam maiorem, idèd tantum actio, & passio in creatis sunt vna res, quia eo ipso quod intelligitur persona passiuè producta, intelligitur persona producere actiue: Nam adæquata ratio est, quia actio non est constitutiua personæ agentis, & eo ipso quod persona producit passiuè, necesse est vt agens actiue producat, quæ ratio in diuinis nõ valet, ubi actio constitutiua est personæ agentis; quamuis enim non possit agens agere,

quin terminus ipse producat, sequitur duntaxat, quod actio & passio separari non possunt, sed non sequitur quod sint vna res: sicut quamuis relatio Patris non possit esse sine relatione filij, non sequitur tamen quod illæ sint vna relatio.

Ad secundam probationem.

Ad alteram probationem, nego processionem actiuam in diuinis produci ab agente, sed terminum duntaxat, & ratio semper est, quia constituit personam agentis, ideòque non potest per illam produci, aut ab ea distingui, vnde nec est relatio personæ productæ ad producentem, sicut in creatis, sed solum relatio personæ producentis ad productam.

Instantia

Instabis vulgò à Patribus verbum appellari notitiam, & sapientiam ipsius Patris, prolem memoriæ cuius fecunditas ipsum pariat. Dicunt quoque Patrem intelligere omnia filio, & amare omnia spiritu sancto, quæ omnia falsa sunt, si processio verbi non sit intellectio, & processio spiritus sancti non sit amor, præsertim cum Augustinus etiam sæpè dicat quod idem sunt in diuinis dicere ac intelligere.

Resp. Hæc omnia vera esse, quamuis processio sit relatio, modò tamen principium productiuum sit intellectio & volitio; sic enim verbum est notitia patris, quia ex cognitione procedit tanquam à principio, & quia totam suam cognitionem communicatam habet in filio, sic enim intelligit omnia filio, cum dicit Augustinus, quod in Deo intelligere ac dicere idem sunt, non significat propriè dictam intellectiõnem sed actionem, quæ ab intellectu prodit.

S. IV.

Quinam sint termini, & quænam proprietates processionum diuinarum.

EX his, quæ de quidditate processionum constitui, colligi facile primò potest, quinam sint earum veri termini. Primò enim, nullus est earum terminus à quo, quia terminus à quo est id quod desinit, in diuinis autem personis nihil omninò desinit, nisi velis illas fieri ex nihilo. Secundò, subiectum nullum est in istis processionibus etiam per conceptum, quia nihil concipitur recipiens, nihil receptam, impropriè tamen essentia dici posset recipiens. Tertio, terminus ad quem alter est formalis productus, & est personalitas, alter formalis communicatus, & est essentia diuina, denique alter est totalis, & est persona producta, quæ oprime dicitur fieri ex aliquo, etiam si non fiat ex vllò subiecto, quia fieri ex aliquo est retinere aliquid personæ producentis, patet autem quod persona producta essentiam ipsam habet producentis.

Tres termini.

Quatuor proprietates.

Colliges secundo, istas processionum diuinarum commodè posse numerari proprietates, primò sunt actus verè immanentes; sunt enim ab intellectu & voluntate cum quibus identificantur. Secundò, sunt actus vitales, quia origo actiua est immanens, & supponit personam producentem, constitutam saltem per conceptum confusum. Tertio, non sunt quidem actus liberi, cum personæ productæ sint entia simpliciter necessaria, sed sunt tamen actus maximè voluntarij, quia sunt obiecta quæ Deus maximè vult, & in quibus perfectissimè sibi complacet, & quidem magis quàm in creatione aut in vlla operatione transeunte, vide Petauium lib. 6. c. 8. Est tamen grauis hæc difficultas, quomodo voluntas illa esse possit prior, vel posterior ipsâ generatione verbi, quod spectat ad ea, quæ dicentur de cognitione ex qua procedit verbum. Quarto, altera earum processionum generatio est, & persona producta est filius, altera non est generatio, quod quia difficillimum intellectu est, propterea explicatione pleniori eget.